Deo optimo maximo uni & trino, Virgini Deiparæ, & ſancto Lucæ orthodoxorum Medicorum Patrono. (1783)

Lisez 1483

QUÆSTIO MEDICA.

Cardinalitiis diſputationibus manè diſcutienda in Scholis Medicorum, die Jovis 24. Martii.

M. PETRO DAQUIN, Doctore Medico, Regis ordinario, & in horto Regio Profeſſore botanico, Præſide.

An Vere piſcium eſus ſalubris?

DIÆTA partium Medicinæ præſtantiſſima & difficillima, neutiquàm poteſt ægris, ſanis, medioque modo ſe habentibus præſcribi, niſi naturæ miniſter, imitator, & corrector Medicus, anni tempeſtatum potentiam probè teneat; non enim ſimile quid in illis exiſtit, verùm differunt invicem, propter varias quæ in eis fiunt mutationes: ventres alio modo ſe habent Vere ac autumno, æſtate ac hyeme: Cibi ſubſtantia, quantitas, qualitas, utendi ratio animo perpendenda, cum calore noſtro naturali eoque elementari comparanda. εὔπεπτα δυσπέπτοις, εὔχυμα κακοχύμοις, mediam conſiſtentiam ſortita, craſſis ac tenuibus, Veris præſertim tempore præferenda: ab his modò refocillatur, modó fatiſcit, ſuique jacturam patitur. Salubris cibus qui ſanitatem conſervat & efficit, pro variis temporibus varius exhiberi debet, taliſque dicitur collatione tempeſtatis cùm naturâ corporis noſtri. Æſtate & autumno alimenta ſumi debent pauca, bona, & ſæpè: hyeme multa, item Vere, at mediocritèr nutrientia.

ALIMENTUM quicquid totius ſubſtantiæ familiaritate in corporis animati ſubſtantiam converti poteſt, veneno oppoſitum, (inter utrumque medicamentum obtinet locum) patiens & agens corpus eſt; quod ſumitur ex plantis, animalibus, eorúmque partibus ex quatuor elementis compoſitis actu remanentibus, non ex terrâ, aquâ, igne, aëre, binis & intenſis qualitatibus affectis, nec imperfectè mixtis, ut meteoris & mineralibus; ex animalibus ſalubrius deſumitur alimentum, quàm ex plantis, quòd à calore noſtro ſubigitur, eumque auget hyeme & vere magis, quàm æſtate & autumno. Pro vario ſyderum ortu, & occaſu, à quibus diſcriminantur anni tempeſtates, calor vegetior imbecilliórque redditur, ut pro ratione locorum vita productior. Hyeme, ut Septentrionalibus longævis, intenſus calor, bona concoctio. Æſtate, ut Meridionalibus, utrumque debile. Autumno, ut Occidentalibus infirmis, inæqualis calor. Vere, ut Orientalibus, omnium ſaluberrimè vitam degentibus, temperatis, & quibus prolixior vita, temperatura media ſimilibus conſervanda.

ANIMALIA terreſtria, volatilia, aquatilia, dedit natura hominibus pro eſcâ: è quovis genere, quæ in omnis exceſſûs mediocritate conſiſtunt, eligenda. Aquatilia animalia bonitate terreſtribus & volatilibus non ſunt inferiora, hæc ἄφωνα, morbis ut reliqua non ita obnoxia, ſaluberrimum hominum corporibus ſunt alimentum, minimè medicamentoſum: piſces lacuſtres fluviatilibus cedunt, ut fluviatiles & ἀνάδρομοι, marinis omnium ſaluberrimis, ex quibus ſaxatiles inter littorales & pelagios palmam obtinent, & qui præcipuè in Oceano, quàm in Mediterraneo degunt, εὔπεπτοι, non εὔφθαρτοι, cum avibus montanis comparandi, ſanguinem conſiſtentiâ medium generant, nec nimis tenuem, nec craſſum, ægris etiam exhibendi, ut tertianâ exquiſitâ laborantibus, picrocholis, calculoſis. Nullum convenientius alimentum ubi natura media, calor mediocris qualis Vere reperitur, non autumno, æſtate, & hyeme, quæ anni tempeſtates ἄκρατοι, plurimis morbis obnoxiæ.

EX piſcibus eligendi ſtaturâ & ætate mediocres, non vetuſti (excepto nullo) ex eorum partibus quæ exercitatiſſimæ, ut caudam & dorſum ſpectantes, quæ caput, ventrem, & quæ ex his pingues ſunt pejores: gravidi plurimi Vere ſunt meliores, marini recentèr capti lepram inducunt, ſaliti non ſalitis inſalubriores, molles & friabiles longè præſtantiores glutinoſis: quibus inculpata eſt valetudo iis piſces ἐκ τηγάνου maximè conveniunt, ut juſſulenti ægrotis: à ſartagine humiditas excrementitia piſcium abſumitur, eorum friabilior redditur caro, guſtu ſuavior, concoctu & diſtributu facilior, non abſimilis illi quam gallinæ, capones, phaſiani, perdrices, attagenes, columbæ, merulæ, turdi, turtures, paſſerculi ſuppeditant.

VER prima anni tempeſtas, quo tempore Mundus creatus fuit, ab æquinoctio verno incipiens, & in ortum pleiadum, æſtatis initium deſinens, omnium ſaluberrima, ut temperata non calida & humida, in quâ temperatis & euchymis eſt utendum cibis, non ita leguminibus, rectiſſimè piſcibus, ex quibus tamen minùs laudandi qui duræ ſunt carnis, ut dracones, cuculi, muſtelli, pagri, mulli, nam ægrè conficiuntur, ſuccoſque craſſos in corpus diſtribuunt; at eligendi qui molli friabilique carne ſunt prædìti, lucii, gobiones, percæ, ſoleæ, paſſeres, rhombi, barbuta, aurata, poſt hos aſelli, hamiæ, jecorarii, cythari, umbræ; omnes iſti faciliùs quàm cæteri concoquuntur, diſtribuuntur, & laudatiſſimum calori noſtro pabulum præbent.

Ergo Vere piſcium eſus ſalubris.



Proponebat Pariſiis DANIEL TAUVRY, Cœnomanenſis Lavalleus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1695.